

כסם יחיה

MELETEMA PHILOSOPHICUM,  
DE  
NECESSARIA ATQUE ESSENTIALI  
**BONI**  
**MALIQUE MORALIS**  
**DIFFERENTIA,**

QUOD,

VENIA AMPLISS. ORDINIS PHILOSOPHICI  
IN REGIO AD AURAM LYCEO,

PRÆSIDE

VIRO MAXIME REVERENDO atque CELEBERRIMO

**CAROLO**  
**MESTERTON,**

S. S. Th. DOCTORE Log. & Metaph. PROF. Reg. & Ord.

PRO LAUREA

*Defendet*

S:Æ R:Æ M:TIS ALUMNUS

**JONAS BILMARK,**

WESTRO-GOTHUS.

IN ACROAT. MAJ. V.D. DIE XXVIII. JUN. ANNI MDCCLXIII.

L. H. Q. P. M. S.

---

A B O Æ

Impressit JOH. CHRIST. FRENCKELL.



## PRÆFAMEN.



*Ea est rerum nostrarum conditio, ut  
que sua natura hominibus maxime  
profunt, si in abusum vergant, pluri-  
ma secum ferant incommoda. Non  
equidem negamus, quin per culturam  
scientiarum eximiam utilitatem per-  
ceperint mortales; simul tamen haud difficulter admitten-  
dum, quod multi, etiam qui ceteris meliora sapere vi-  
dentur, præstantissimis his adminiculis ad convellendam  
propositionum, ante evidentem cognitarum, certitudinem  
pessime sint abusi, & lampada, quam ex scientiis debuis-  
sent aliis accendere, tenebris plus quam cimmeriis in-  
volverint. Si igitur extra partes Matheseos puræ ex-  
spatiemur, nullam evidentiam, nullam certitudinem in-  
veniunt, sed singulas propositiones, etiam quæ axioma-*

*tum*



tum loco haud ita pridem habebantur, densis dubitationum nebulis involutas esse, iterum iterumque crepare solent. Tolerari quodammodo ista possent, si exterminandis nugis tantum inservirent. Verum cum planissima principia, quæ virtutum bases sunt, in dubium vocantur; postulat officium, ut impediamus, ne hæc opinionum monstra in perniciem generis nostri inolescant. Prolixum omnino foret, & ab instituti ratione alienum, si maculas omnes, quibus sobria philosophia, ingravescentibus, ut nostro potissimum ævo factum est, atheismo, naturalismo, libertinismo ceterisque corruptæ rationis inventis, adpersa fuit, vel obiter perstringeremus; non sine tenebrima tamen ægritudine audire licet homines, qui ut religionem firmissimamque ejus fundamenta subruere non dubitant, ita quoque principia moralia, quibus, ceu cardinibus virtutes nituntur, confundere & argute convellere operose satagunt. Urgent itaque lepida hæc capita inter BONUM & MALUM MORALE necessariam & essentialem differentiam dari omnino nullam, sed vana tantum hic occurrere nomina & opiniones mente cassas, quæ partim educationi, partim etiam obsolescentis fere præjudiciis suam debeant originem. Quam parum autem hæc sibi constet opinio, in præsentem ostendere conabimur dissertatione; quam ut H. L. equi bonique consulat, enixe, & qua par est, observantia rogamus.

§. I.

**U**t fucum, quo allatæ sententiæ vindices sua inerustare solent placita detergamus, statim



observamus, quod, si necessaria & essentialis nulla intercedat differentia inter bonum & malum morale, luculenter sequatur, quod pessima vitiorum mancipia & inutilissima terræ pondera recte agant, quidquid demum in suum commodum aliorum pernicie moliantur; quam tamen horridam conclusionem, cui modo sanum sit sinciput, admissurum credimus neminem. Ipsam naturam quasi frementem animadverto, dum gigantea hæc & in Ipsum Numen injuriosa suboles contendit: injurias, adulteria, incæstus, cædes, furta, sacrilegia nec non gravissimas in DEUM, satis cognitum, blasphemias, officiis nostris non repugnare (\*). Aut igitur contrariæ opinionis adsertores admittere debent, se nullis nec gaudere nec gravesos fuisse sensationibus, quæ præcordia ipsorum vellicarunt, quoties sua sibi placita persuadere sunt annisi, qualia adamantina vix concipere licet pectora; aut concedendum, differentiam boni malique moralis lubricis quibusdam præjudiciis suam non debere originem.

(\*) Vid. Diff. sub. præf. Nob. Canc. Consil. von IHRE de Malo Indifferentismi Religionum in Republ. Upsl. 1751. §. VI.

§. II.

Quemadmodum plantæ alia aliaque accedente cultura, tam quod ad magnitudinem, quam foliorum colores vehementer mutari possunt, ipsa tamen natura & insitis virtutibus eisdem sempermanentibus; ita per educationem, prout ipsa, vel sa-

na fuerit vel perversa, vitæ humanæ rationes admodum mutantur; remanent tamen semper inclinationes & propensiones, quibus alius temere frenâ laxat, atque sic in malorum barathra præcepserit, alius autem easdem ita moderatur, ut ipsius commodis inserviant. Superfunt etiam in singulis hominibus, ubicunque demum terrarum vitam degant, quædam principia, aptissimæ actionum normæ, quorum evidentiam ratio, nisi adfectuum turbine confundatur, confestim agnoscit, & in quæ mutanda educationi, quantumvis diversæ, nullum omnino jus competit. Cum igitur omnes omnino homines in principiis naturæ consentiant, licet principia educationis toto nonnunquam cœlo sint diversa, atque principia illa, quasdam actiones, ut bonas, alias vero, ut malas, nobis proponant; pro no fluit alveo dari necessariam & naturalem boni malique morales differentiam.

§. III.

Fingamus autem tantisper hypothesein adversariorum tolerari posse. Igitur, cum Parentibus & Præceptoribus, qui educationis nostræ curam gesserunt, debeamus differentiam inter bonum malumque morale stabilitam; hi quoque ex suis institutoribus eadem præcepta hauserint, atque ita continuando seriem argumentationum pervenimus ad primos homines, a quibus proinde originem moralitatis actionum deduceremus. Verum cum hi



nulla usi ponantur educatione, nec differentiam  
 boni malique moralis cognoverint, consequenter  
 nec eandem liberis ac nepotibus suis impertire po-  
 tuerunt. Quæ ratiocinatio, cum de vigore suo ni-  
 hil remittat, si vel ab initio mundi ad nostrum  
 descendamus ævum, sequitur nos naturæ nostræ  
 & insiti luminis naturalis beneficio hanc differen-  
 tiam percipere, adeoque ipsam omni educatione  
 priorem esse. His accedit, quod si historiam, fi-  
 dissimum illum in arduo hoc negotio veritatis ob-  
 fidem, consulamus, deprehendamus, primos statim  
 homines de differentia boni malique moralis disse-  
 ruisse, cognitionemque hanc sine molestis educa-  
 tionis ambagibus sibi acquisivisse.

§. IV.

Quis porro, qui modo primoribus labris scien-  
 tias degustavit, ignorat, quod dentur certe argu-  
 mentandi regulæ, quæ a voluntate & arbitrio ho-  
 minum minime dependent? Quis insuper nescit,  
 quod regulæ hæc Syllogisticæ non ideo veræ sint,  
 quia Viri Docti in illis proponendis atque explican-  
 dis industriam suam collocaverint, sed quod inditam  
 & tam evidentem habeant certitudinem, ut irritus  
 & frustraneus eorum foret conatus, qui harum na-  
 turam temere pervertere vellent. Potest quidem  
 Sophista easdem nonnunquam confundere, Gorgo-  
 neis involvere tricis & subinde etiam violare; sed  
 facili negotio intra debitum coërcetur gyrum &

ju-

jugo rationis, quod impudenter excutere conatus erat, iterum subjicitur; dumque ostenditur, quod argumentationes necessariis regulis non convenient, dedecus, quod aliis intentaverat, in ipsum turpiter redundat. Pari modo æquissimæ regulæ, quæ voluntati nostræ sunt præscriptæ, non minus immutabiles & necessariae sunt, quam quibus convenienter facultatem cognoscitivam dirigi modo indicavimus. Utræque enim nobis sunt essentialia, quia rationi, præstantissimo illi dono, quo a brutis distinguimur animantibus, suam debent originem. Scilicet extra dubitationis aleam positum est, quod ante educationem gaudeamus lumine naturali, cujus ope principia, quæ ad tenorem educationis nobis proponuntur, percipimus, & sine quo irrita & frustranea foret omnis institutio. Nec minus verum est, lumen hoc insitum, quod rationem nuncupamus, nobis prælucere atque consulere, quoties quid vel faciendum sit vel omittendum. Aut igitur fas est, ut rationi, vigili illi genio, obediamus, aut licet mandata ejus alto fastidire supercilio. Si hoc sequitur, rationem plane inutilem & supervacaneam esse; unde porro sequitur, quod ejus ope inepti redamur, qui bona fruamur educatione atque variis instituiamur disciplinis. Ipsa natura, quæ tam nobile depositum nobis concessit, de spe sua est dejecta, atque ipsum nomen & definitio hominis chimericas tantum involvunt notiones. Cum vero singulæ hæc propositiones tales sint, ut in circum Philosophicum admitti nec possint nec debeant, relin-



linquitur rationi obtemperandum esse. Adest igitur gravis obligatio: adest & quidem ante educationem prima lex, quæ nobis injungit, rationi morem gerere. Si igitur hoc est officium, uti omnino est, recte agimus, si eidem satisfaciamus; erramus autem, nobisque minime consulimus, quoties ejus decreta migramus. Constat proinde, quod detur naturalis atque essentialis boni malique moralis differentia, & quidem ab educatione & vagis præjudiciis minime dependens.

§. V.

Ipsam etiam experientiam si consulamus, satisprehendimus superque, quod homines, quamvis rationis ductum sequi sibi videantur, diverso tamen modo actiones suas instituunt. Quidam enim perverfis suis inclinationibus atque propensionibus morem gerunt: quo adfectus sollicitant, præcipites, reluctante licet ratione, etiam cum maximo & suo & aliorum incommodo, ruunt. Alii autem toti in eo occupantur, ut suum cuique tribuant, omnes spernunt illecebras, quas adfectus proponunt, modo sibi aliisque inferviant, & injurias accipere, quam inferre malunt. Dantur igitur homines, qui ratione sua, modo toto, ut dicitur, cælo diverso utuntur; dantur etiam actiones contradictorie oppositæ. Ergo, si illæ actiones malæ sunt, hæ necessario sunt bonæ, & proinde quatenus ad nostram aliorumque perfectionem tendunt, easdem suscipimus.



mus. Quis enim de veritate hujus propositionis vel tantillum dubitaret? Adeoque si ad officium nostrum pertinet, ratione nostra uti, adest omnino obligatio: Si vero obligatio, virtus certe est, illi satisfacere, contra ea autem vitium, illam negligere. Adeoque differentia illa, quæ in actionibus cernitur, non est arbitraria, sed in ipsa earum natura & indole fundata, adeoque necessaria & essentialis.

§. VI.

Verum quidem est, quod Athei, ceterique ejusdem furfuris homines, qui a sola educatione boni malique moralis differentiam derivant, existentiam Summi Numinis ægerrime admittant; nihilo tamen minus hanc propositionem: DEUS, Ens perfectissimum, existit, a præstantissimis quippe Philosophis luculenter admodum demonstratam, axiomatis instar hoc loco adsumere licet. Existentia autem DEI non est effectus voluntatis Divinæ. Non enim ideo existit Supremum Numen, quia vult existere, sed infinita Ejus natura talis est, ut non possit non existere. Similiter potentia atque omniscientia vi infinitæ ejus naturæ Ipsi competunt; proinde non est vel omnipotens vel omniscius, quia vult facere & cognoscere entia omnia, sed quoniam summa hæc attributa necessario pertinent ad essentiam Entis perfectissimi. Si jam ab his ad imperium voluntatis Divinæ, quod exercitium potentia Ipsi tantum spectat, progrediamur, largiendum



dum omnino erit, quod nihil extra se ipsum producat, nisi quod actu producere ante decreverit, ceteris omnibus, huic decreto non subjectis, intra sphaeram possibilitatis manentibus. Unde porro sequitur, quod imperium modo memoratum sese tantum extendat ad existentiam rerum creatarum, non vero item ad earundem essentiam. Potuit equidem DEUS ex nihilo producere materiam, hominem, circulum, & ita porro; potuerat etiam, si Ipsi ita visum fuisset, in statu merae possibilitatis haec relinquere; verum non potuit his omnibus existentiam largiri, nisi simul essentielles quasdam proprietates ipsis concederet. Necessarium igitur fuit, ut homo esset animal rationale, ut circulus possideret figuram rotundam; quoniam secundum ideas aeternas & a decretis liberae voluntatis independentes essentia hominis in eo consisteret, quod esset animal rationale, & circuli essentia absolveretur figura terminata linea curva, cujus singula puncta aequaliter a centro distarent. Ex quibus igitur satis constat, essentias rerum esse aeternas, adeoque etiam dari propositiones & principia aeternae veritatis ac immutabilia. Quod non solum valere intelligendum est de primis staminibus propositionum Theoreticarum, sed etiam de simplicissimis principiis practicis. Haec essentiae atque haec veritates aequo necessario existunt, ac ipsa Scientia Divina. Ergo haec vel illae actiones per suam naturam & essentiam has vel illas habent proprietates, nec alias admittere possunt. Unde porro sequitur, quod cum den-  
tur



tur actiones, quod ad indolem diametraliter oppositæ, differentia actionum moralis erit naturalis & essentialis.

§. VII.

Ponamus differentiam actionum moralem non esse necessariam & naturalem. Igitur admittendum est, moralitatem omnem a voluntate & beneplacito Divino pendere, consequenter, si Supremo Numini ita visum fuisset, singula præcepta, quæ vel per rationem vel revelationem nobis manifestavit, permutare & singula decalogi mandata invertere potuisset, quod tamen perfectionibus ipsius repugnat. His in medium prolatis, non tamen negamus, quin quarundam actionum moralitas sit subjectiva. Recte igitur & in rem nostram admodum adposite FRANC. TURRETINUS (\*): Bene dictum est, res quasdam esse bonas, quia DEUS eas vult, qualis est observatio ceremoniarum & mandata omnia positiva, alias vero DEUM velle, quia justæ sunt & bonæ, qualis est amor DEI & proximi, quia tales sunt per se & natura sua, & si per impossibile DEUS eas non præciperet, non desinerent esse justæ, adeoque a nobis præstandæ.

---

(\*) Theol. Elenct. Tom. I. p. m. 246.

§. VIII.

Argumentis modo allatis, quæ essentialem boni malique moralis differentiam evincunt, hoc addimus, quod gentes, etjam quæ densis ignorantiae tenebris fuerunt involutæ, quasdam actiones vitio-



rum loco habuerint. Duo tantum exempla hujus rei adferre licet: Tous les habitans des Antilles étoient Athées avant qu'elles eussent été decouvertes par les Chrétiens. Cependant on n'ignore pas dans ces Isles, que l'adultere ne fut une méchante action. Car un des Auteurs, qui nous ont donné l'histoire de ce pais-la raporte qu'un de ces insulaires aiant tué sa femme, parce qu'il avoit decouvert qu'elle s'abandonnoit à un autre, vint trouver son beupere & lui dit: J'ai tué ta fille, parce qu'elle m'étoit infidelle. A quoi le beupere repondit: Tu as bien fait: mais sa jeune soeur est plus belle qu'elle, je te la donnerais, si tu veux (a). Tous les Caffres sont des peuples plongez dans la derniere ignorance; mais par la fréquentation des Hollandois, ils commencent un peu à se derouiller & même à apprendre le flamand. Cependant tous grossiers qu'ils sont, on voit en eux de beaux restes de la lumiere naturelle, & on peut bien comprendre par la reponse, qu'on a rapportée ci dessus, de ce Caffre prisonnier aux Hollandois, que les Hottentots les plus barbares n'agissent pas sans raison, & qu'ils savent le droit des gens & de la nature. J'ose même dire, que leur amour mutuel, leur fidelité, & leur desinteressement doit couvrir les Chrétiens de confusion: ils n'ont presque rien de propre & quand l'un a quelque chose, il en fait part à l'autre librement & sans le reprocher. On remarque même qu'ils se piquent d'honneur (b).

(a) Ar-



(a) Arnold, Denonciat. du peché Philos. p. 35. (b) DAPPER description de l'Afrique. pag. 385.

§. IX.

Pudeat certe nos aliter sentire; cum constet, gentilium Philosophos differentiam boni malique moralis necessariam & naturalem admisisse. Sic SOCRATES, qui Philosophiam de cœlo devocasse dicitur, contendit: DEUM amare res bonas propter insitam bonitatem, non autem res bonas esse, quod a DEO amentur (a). Et CICERO: Quæ natio non comitatem, non gratum animum, non benignitatem & beneficii memorem diligit? Quæ superbos, quæ malificos, quæ crudeles, quæ ingratos non aspernatur, non odit (b). Et paulo post: Quod si homines ab injuria, pœna non natura arceri deberet, quænam sollicitudo vexaret impios, sublato suppliciorum metu, quorum tamen nemo tam audax unquam fuit, quin aut abnueret a se commissam esse facinus aut justî sui doloris causam aliquam fingeret, defensionemque facinoris a natura jure aliquo quæreret. Agmen tandem claudat Scriptoris Gallici egregium judicium: Les Philosophes payens professoient une Religion, dont les Dieux adulteres & impudiques, yvronges, homicides, voleurs ne leur donnoient point l'idée de la vertu, qui fut favorable à cette doctrine; ils étoient ceux même dereglez. Ainsi s'ils ont reconnu des loix naturelles, il faut qu'ils ayent vu dans leur coeur, ce que tous les hommes apperçoivent, quand ils y font attention. Ils sont conve-

nus, que pour bien vivre il faloit fuivre la nature, c'est a dire, les sentimens interieurs d'estime & de plaisir, qu'elle nous inspire pour ce, qui est bienfait & de honte & de douleur, qu'elle nous fait sentir, quand nous allons contre ses loix. Ainsi nous voyons, qu'ils ont dit de la vertu, tout ce qui s'en peut dire. Ils vivoient mal, mais pour se faire considerer, ils declamoient contre le vice. Ils ne se seroient pas condamnez eux-mêmes par leur paroles, s'ils n'eussent été contraints d'estimer ce qu'ils ne faisoient pas, & s'ils n'eussent été convaincus, que la vertu est une si belle chose, que non seulement ceux, qui la possèdent, mais encore ceux, qui en parlent, comme il faut, meritent l'estime & la consideration des hommes (c).

(a) vid. Eutyphron. Platon. p. m. 7. seq. (b) de legibus libr. I. pag. 330. (c) voy. Bernhard Lamy Entretien 2 sur la morale pag. m. 149. 150.

CLARISSIMO DOMINO CANDIDATO.

**H**orrida quam differt caligo lumine solis,  
 Tam se inter pravum discrepat atque bonum.  
 Quæstio magna satis, pulchroque incongrua seculo,  
 Ast hanc enodas, Dalcis Amice, probe.  
 Gratulor ingenii dotes Tibi pectore fido,  
 Quas laudare satis nostra Thalia nequit.  
 Præmia sunt Lauri: Lauros comitentur & opto  
 Græte sortis opes. Sæavis Amice, vale!

ANDREAS BERGMARK.